

Theolog. lib. 1. cap. 45. quæst. 6. medio 10. eorum, quæ in ipsa meditatione Scripturæ adhibenda. Zanch. Tractat. de Sacra Scriptur. quæst. 12. cap. 2. caus. 6. obscuritat. Scripturæ. Bez. in dictum locum, & alios.

At respondemus, si per *τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως* intelligatur *Ratio, Regula, & Canon Fidei*, quæ est ipsa Scriptura, ridiculam videri Majorem, utpote Enunciationem identicam: Sin verò *proportio doctrinæ de Fide*, quæ Reformatorum Catechismis continetur, absurdum esse Antecedens, cum tota ista doctrina non aliunde, quam ex verò S. Literarum sensu hauriri debeat: Sin *constans, & perpetua Scripturæ in apertis locis sententia*, jam fusè refutatum esse Cap. 11. Si denique *Symbolum Apostolorum, Decalogus, & Oratio Dominica*, partim absurdum, partim jam refutatum esse: cum prius ex Scripturâ confirmandum ac deducendum; posteriores verò partes ipsius Scripturæ sint. Locus autem Pauli, qui in Antecedentis probationem adducitur, nihil evincit. Non enim in Græcò invenitur vocula, *prophetemus*, sed eam Beza cujus versionem secutus est Chamierus, interposuit, & quidem in *subjunctivò* modò, ei reliquam suam interpretationem accommodandò atque adeo Paulum aut jubere, aut suadere fecit, cum tantùm simpliciter in *indicativò* asserat, quod *multi* (translatio est Erasmi à quâ vulgata non multum differt) *unum corpus sumus in Christò. Singulatim autem alii aliorum membra, sed tamen habentes dona, juxtà gratiam datam nobis, varia, sive Prophetiam juxtà portionem fidei, sive ministerium in administratione, &c.* Unde patet per *τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως* non intelligi, *proportionem doctrinæ de fide, nec Regulam Fidei*, aut simile quid, quemadmodum vult Chamierus, sed quod rejicit, *Mensuram fidei suæ, hoc est, quam quisque habet*, ut est in versione Syriacâ, & censet Wolfgangus Musculus in Commentariis suis in hunc locum; sive *mensuram cognitionis nostræ, quâ Deum, & res divinas cognovimus è Scripturâ*, ut habet Piscator in Scholiis ad hunc locum, superiorem Chamieri expositionem simul improbandò, & rejiciendò, tanquam spuriam & non genuinam. Atque hanc interpretationem etiam admittunt Beza, Pareus, eòque referente Martyr in dict. loc. & habent Chrysostomus in dict. loc. *Tamet si gratia sit & ipsa (Prophetia) non tamen simpliciter effunditur, sed mensuram à recipientibus se accipiens, tantum influit, quantum invenerit oblatum sibi fidei vasculum: Et Ambrosius ibidem. Hæc (Prophetia) datur pro modò accipientis, hoc est, quantum causa exigit, propter quam datur: Et Hieronymus. Secundum fidem, quæ unicuique à Deò data est, atque concessa: Nec non Theodoretus. Pro uniuscujusque fide gratiam dimetitur, qui est bonorum suppetitor. Unde Erasmus hunc locum sic *παραπέριζει, Sive contigit Prophetiæ dos in explicandis arcanis literis juxtà modum fidei, quam solam respicit Deus, non cætera merita, citra supercilium, suum bonum cæteris**